



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 313. Usque Ad Annum 361

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 90117778

§. 28. Syriani violenter Acta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66022)

Sæculum IV.
A. C. 356.

§. XXVIII.

Syriani violenter acta.

*Protest. pop.
ap. Athan.
p. 366.*

*Athan. de fu-
ga. p. 717.*

Contra fidem datam a Syriano 18. Januarii, elapsis viginti tribus diebus, nempe nona Februarii, populo de nocte in Ecclesia S. Theonæ ad vigiliis, & orationes congregato, quia sequenti die, quæ erat Veneris, Mysteria celebranda erant, is ipse Syrianus circa medium noctis Hilario comitante, & ducentibus Arianis ad Ecclesiam venit; ultra quinque millia virorum ex Legionibus sequebantur; galea tegebantur, nudos enses tenentes, arcus quoque, & alia armorum genera gerebant. Hæ copiæ Ecclesiam, ne quisquam effugere posset, cinxerunt. S. Athanasius in hoc periculo populum suum derelinquendum non existimavit, mansit sedens in Cathedra sua, & a Diacono unum psalmorum prælegi iussit, quo Misericordia Dei manens in æternum celebratur; plebem autem monebat, ut quisque in domum suam se reciperet. Diacono legente, milites, effractis foribus, Ecclesiæ infunduntur, militari clamore arma concrepantes, ferri fulgore, qui ad lampadarum lucem internitebat, terrorem augente. Tunc Syriano imperante, ut ferirent milites, multi sagittis confixi, alii, ingredientium millium impetu in terram dejecti, proculcati sunt.

sunt. Non nullis virginibus anima elisa Sæculum IV.
A. C. 356.
est, aliæ spoliatae nuditatis confusionem,
tormentum ingenuis puellis morte gra-
uius, pati coactæ. Militum pars Sanctua-
rium ad comprehendendum S. Athana-
sium obsidebat; ipse in Cathedra sua per-
sistens, omnium ultimus exire statuerat,
quamvis qui de Clericis, & populo pro-
ximi stabant, hortarentur ut fuga se sub-
traheret. Tandem assurrexit, & ulti-
mam orationem recitari præcepit, ite-
rumque obtestabatur omnes, ut discede-
rent, præstare se solum periculo objici;
plerique exierant, & sequebantur cœteri,
tunc Monachi, & Clerici qui ultimi
supererant, cunctantem injectis manibus
secum abstrahunt. Tanta erat in fugien-
tium multitudine compressio, ut pericli-
taretur Athanasius, ne membra a mem-
bris avellerentur; certe animo linque-
batur, & exspirasse creditus, a suis aspor-
tatus est; itaque per medios satellites,
non Sanctuarium modo, sed etiam Eccle-
siam cingentes efferri, & salvari potuisse,
prodigio simillimum fuit. Tum hostes
Ecclesiam diripere, confringere portas,
omnes in loca Sancta intrare, quo nec
omnibus Christianis ingredi licebat. Gor-
gonius civitatis centurio huic tumultui
aderat.

Corpora mortuorum a militibus auf-
ferri iussa, ut occultarentur; at occisæ

Hist. Eccles. Tom. III.

Ss

Vir-

Sæculum IV. Virgines in sepulchris conditæ, & Mar-
 A. C. 356. tyrum cultu honoratæ sunt. Hodiedum
 omnium illorum, qui hac occasione vita
 functi sunt, memoria agitur. Fideles in
 Ecclesia sagittas, gladios, & alia arma
 suspenderunt, irrefragabile rei hujus te-
 stimonium futura, & præterea edito li-
 bello contra vim illatam publice prote-
 stati sunt. Syrianus cogere volebat, ut
 hanc protestationem retractarent, & ne-
 minem in illo tumultu fuisse occisum te-
 starentur; imo quosdam, ad se venien-
 tes, ut orarent, ne quemquam ad negan-
 dam veritatem vi compelleret, fustibus
 cædi jussit. Sæpius misit cohortis suæ
 lictorem, & civitatis centurionem, ut
 arma in Ecclesia suspensa auferrent, quod
 fieri Catholici prohibuerunt, & secun-
 dam protestationem ediderunt, cujus
 initium hoc est:

Martyr.
Rom. 28.
Jan.

§. XXIX.

Protestatio populi Alexandrini.

Ap. Athan.
p. 866.
 Populus Ecclesiæ Catholicæ Alexandrina,
 qui sub Reverendissimo Episcopo Atha-
 nasio est. Semel antea propter aggressio-
 nem nocturnam, in nostram Ecclesiam at-
 tentatam, protestati sumus, quamvis in re
 toti Civitati notissima protestatione opus
 non sit. Corpora occisorum publice ex-
 posita jacuerunt. Arma, & arcus in Ec-
 clesiæ